

fidentiâ. E. licet sanctos mortuos invocare
sine injuriâ Christi & absq; diffidentia.

Hunc Soriten Beeanus per aliquot paginas profert. Sed multa huic argumento insunt vitia, sicuti B. Meyfartus in *Nodo Gordio lib. 1. c. 41. pag. 136.* demonstrat, & ita refutat:

1. Primò falsum est, omnes sanctos, quos Pontificii pro talibus habent, esse in cœlo. Quidam enim sunt in inferno. Quidam nunquam fuerunt in rerum naturâ.

2. Deinde falsum est, Sanctos, si sunt in statu beatitudinis, scire quæ apud nos geruntur, quum ea notitia in beatos mortuos non cadat, *Esa. 64. v. 16. Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos.*

3. Tertiò falsum est, sanctos, si sciant quæ apud nos gerantur, intercedere pro nobis. Non possunt demonstrare Pontificii, sanctos demortuos in specie audire & intelligere preces ac gemitus piorum; ac proinde in specie pro hoc & illo & isto intercedere: In genere Sanctos pro Ecclesiâ orare, non negaverimus.

4. Quar-